



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitulum X. Dilectorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

quam sententia, quæ in rem iudicatam transeat, lata sit, uti constat ex c. *ult. de confessis*. ubi id docui etiam ex l. *Error. 7. de juris & facti ignorantia*. & videri potest c. *3. iuncta gloss. verb. iusta. de iure jurando in 6.*

6 Nota IV. Officiales publici præsertim Ecclesiasticorum Prælatorum, non debent esse infames, sed præ aliis honesti, veraces & iustitiæ amantes, ut ex hoc. c. *Colligitur.* & ex cit. c. *Episcopus.*

7 Nota V. Cathedrale capitulum causas quandoque matrimoniales cognoscere potest, videlicet Sede Apostolicâ vacante, vel si diuturnâ consuetudine talem cognoscendi facultatem cum bonâ fide vsuceperit, secundum gl. in c. *Literas. 13. verb. intra. de restitut. spoliat.*

## CAPITVLVM VIII.

## Super his.

## PARAPHRASIS.

Contra electum Episcopum Lucanum quidam Canonici se opposuerunt obiectantes ei crimina, & super hoc literas ad Pontificem tanquam à maiore parte capituli destinatas miserunt, super his Innoc. III. quibusdam commisit inquisitionem adiiciens, ut testes, qui producti fuerint, compellant dicere veritatem.

## SUMMARIVM.

2. *Testes compelli possunt, ut testentur, si de crimine ciuilitè, vel per modum inquisitionis agatur.*

NOT. Vnicum. Testes compelli possunt ad testificandum, si de crimine agatur ciuilitè seu per modum inquisitionis, ne indignus ad Prælaturam promoueat, uti docui in c. *3. assert. 2. except. 3. hoc. tit.*

## CAPITVLVM IX.

## Cum contra.

## PARAPHRASIS.

Magister Rudolphus dicebatur falsas literas à Sede Apostolicâ reportasse, iisque per sese, vel procuratorem vsu sum fuisse; quærebatur, num testes producti super hoc crimine falsi, cogi debeant ad testificandum. Respondet Innoc. III. si se gratiâ, odio, aut timore subtraxerint, per censuram Ecclesiasticam compellendos esse.

## HOC CAP. NON SUMMATVR.

NOT. Vnic. Si testis productus malitiosè se subtrahere, vel pars aduersa testificationem malitiosè impedire velit, tum ille cogi potest ad testificandum etiam in causâ criminali, id tamen solùm intelligi debet de teste laico, si tale crimen sit, ut pœnâ sanguinis puniri soleat, & non sit perniciosum in futurum, seu exceptum.

## CAPITVLVM X.

## Dilectorum.

## PARAPHRASIS.

Capitulum Ecclesiæ Vulturanae & Episcopus Vulturanus per procuratores ligabant coram iudicibus ab Honorio III. delegatis, quibus hæc respondet Papa, ut testes præterquam super criminibus (si se gratiâ, odio vel timore subtrahant) per censuram Ecclesiasticam cogant ad veritatem dicendam.

## HOC C. NON SUMMATVR.

NOT. Vnic. In causâ ciuili testis plerumque cogi potest ad testificandum, quia videtur se gratiâ, odio vel timore subtrahere, at verò in causâ criminali talis præsumptio non est, ita arbitror intelligendum hoc capitulum, ut cum reliquis iuribus consentiat.

## CAP.